





6a

PRAESIDI
SVO GRAVISSIMO
QVIRINO GOTTLIEB
SCHACHERO,

IVRISSCIENTIAE DOCTORI,
VIRO CONSULTISSIMO,

OFFICII CAUSA SCRIPSIT
CHRISTIANVS AVGVSTVS RASCH.

LIRSIAE, D. XXVI. APRIL MDCCLXX.



Sollemne magnis est animis Patrum
Virtute duci: mens generosior
Illustre majorum suorum
Propositum decus aemulatur.

Nec Tu minori concitus impetu,
SCHACHERE, factis egregiis stude s
Vestigio incedens Paterno
Nominis amplificare famam.

Schacheriae cui gentis adorea,
Cui summa virtus claraque nomina
Ignota sunt jam pridem in orbe
Per memores celebrata factos?

Quis nescit, inter lumina Lipsiae,
Cives et inter promeritos Tuae
De gente primores, colendo
Cum Patre, Avum proavosque poni?

Pulchrum est avitae, quod Tibi contigit,
Hereditatem cernere gloriae;

Qua dignus ut dicaris, illam
Ipse Tuis meritis adauges.

Mentis vigorem quid memorem Tuae?
Dotesue cultae quid loquar indolis?

Praeclara doctrinae peramplae
Jam documenta quot edidisti!

Et nunc recentes ingenii Tui
Accessiones fortibus adjicis;

Scriptumque per limatum ad vnguem
Laude nova Tua fama crescit.

Vere peritum juris et artium,
Intelligentem quae Criticum decent,

Te praestitisti, aenigma legis
Apposite et sine vi resoluens.

Non est profecto res mediocriter
Docti, sed acris iudicii labor,

Leges tenebris inuolutas
Restituisse suo nitore.

Hac arte polles: non sine gloria
Te disputantem Lipsia saepius

Jam vidit admirata acumen
Eloquique Tui decorem.

Ter me beatum! qui jubeor Tuo
Intrare arenam sub maderamine

Ac dimicantium tela et ictus
Escipientis obire munus.

Paene inuidendus non merito meo,
Sed forte nobis hic honor obigit,
 Fauente *Platnero* Taumque
 Conciliante mihi fauorem.

Vtrique grates solvere gestio,
Vtrumque Vestrum mirifice colo,
 Vobisque Patronis mearum
 Ominor omnia laeta rerum.

Signis superbus militiae Tuae,
SCHACHERE, sub Te praefide glorior,
 Prodire primum in concionem,
 Auspiciisque Tuis merere.

Ergo euge! gressu quamlibet impari
Te praeciturnum prosequar impiger,
 Haud turpiter cessurus vlli
 Te duce, Te moderante pugnam.

Certamen instat: viuendus hostium
Nunc sustinendus fortiter impetus,
 Nunc rite pugnandum est, seueras
 Ne violetur honos palaestrae.

VD 18

cb.


ULB Halle
004 997 506

3





6a



PRAESIDI
 SVO GRAVISSIMO
**QVIRINO GOTTLIEB
 SCHACHERO,**

IVRISSCIENTIAE DOCTORI,
 VIRO CONSULTISSIMO,

OFFICII CAUSA SCRIPSIT
 CHRISTIANVS AVGVSTVS RASCH.

LIPSIÆ, D. XXVI. APRIL MDCCLXX.

